THESES
IURIS NATURAE
QUAS
IN COLLEGIO LYCIENSI SOC. IESU
PROPUGNANDAS SUSCIPIUNT

D. IOANNES D' AMELI BARO MELENDUNI E R. C.

D. DONATUS MICALI

11 Kalendas Septembris

ANNO MDCCCXLIV.

Esto cuilibet a quarto arguendi facultas





Barii
Excudebant Fratres Cannone

PARS PRIMA

JUS INDIVIDUALE

I.

Hominis perfectam felicitatem in nullo creato objecto quanticumque tandem illud existimetur, sed in summo infinitoque bono (Deo) constituendam esse ; ex facultatibus quibus hominis ipsius natura est prædita facile deducimus. Quam undequaque completam felicitatem, cum homo nisi vita hac peritura sit functus assequi non possit; beatitudinis specie aliqua dum vivit potietur , si ad summi Boni adeptionem operationibus ad ordinis normas exactis contendat.

II.

Sensus moralis (quæ facultas realiter ab intellectu nequaquam dividitur) ea definit per quæ, homo officia quibus obstringitur cognoscens , fi-

nem suum et adamet et prosequatur. Dum vero intellectus naturali lumine prælucente ea dictat quæ facienda sunt prohibetque contraria; illi semper principio, omnium moralium primo, innititur « Bonum agito »

III.

Libertatem hominis ejusque finitam naturam qui constituit, et naturalis alicujus legis qua regatur et obligetur existentiam inficiatur; male profecto de Divina Natura ac Providentia meretur. Nec his absimiles censemus qui naturalis legis rectitudinem, universalitatem, vel quoad prima saltem principia maximam perspicuitatem in dubium revocant.

IV.

Voluntas tamen hominis libertate physica sub hac lege pollens, adeo ut ad eliciendos actus ab extrinseca vel intrinseca necessitate adigi nequeat, naturali legi potest vel obsequi vel refragari. Humani autem actus cum ex respectu ad finem bonitatis vel malitiae speciem sortiantur; facile constat ex iis aliquos esse natura sua omnique positiva lege præcisa bonos vel malos, alios con-

tra si tantum objectum ipsorum respiciatur nec bonis nec malis posse adnumerari.

V.

Officia Deo per hominem persolvenda, ex naturali dependentia qua Deo ipsi subjicimur deducta, haec adsignamus: 1.° Adorationem, cujus partes per cultum cum internum tum externum sunt implendae: (quicquid indifferentistæ et externi cultus osores in contrarium blaterent) 2.° Fidem, quæ Deo veritates naturales vel supernaturales revelanti humanum intellectum facilem præstat: 3.° Amorem, hominem Deo coniungentem, ejusque dilectionem bonis omnibus creatis anteponentem.

VI.

His ea, quæ hominem ad seipsum dirigunt, connectuntur. Conservationi ergo et perfectioni cum animi et corporis, tum illorum quibus hæc comparantur homo studere compellitur. Hinc naturam omnem exuisse illi dicendi sunt qui vel violentam sibi mortem consciscunt, vel privatum bellum ex condicto inire non verentur.

PARS ALTERA

JUS SOCIALE

VII.

In societatem homines non humana prorsus ac libera institutione seu pactione aliqua coivere: quemadmodum primo Hobbes dein Rousseau eorumque sectatores commenti sunt. Neque in societatibus homines constituti auctoritatem (quæ si absthrait a quacumque regiminis forma, et subjecto immediate a Deo est) creavere. Sed omnis societas peculiaris ex universali socialitatis principio omnibus hominibus indito, et facto aliquo particulari est derivanda.

VIII.

Socii juribus ex recto ordine enascentibus, et officiis quæ illis respondent adstringuntur. Jura quæcumque, dummodo justis titulis innitantur nec a validioribus juribus collidantur, irrefragabilia sunt. Quapropter 1.° nemini umquam licet aliis mentiri, vel prohibere quominus per veri et boni adeptionem perficiantur: 2.° Omnes suæ vitæ ca-

veant; inlata etiam, si aliud desit effugium, injusto aggressori morte: 3.° Honore ac amore se invicem prosequatur, inimicos enim odisse naturæ legibus adversatur, et societatem funditus evertit.

IX.

Saepe fit, ut societates majores (protarchiæ) minores sibi adsciscant societates (deutarchias). Jure vero cautum ne deutarchiæ ex hac unione suum esse peculiare amittant; vicissimque ut dum hae ad finem generalem protarchiæ propositum conspirant per protarchiam conserventur ac tueantur.

X.

Moralis societatis operatio, quæ in auctoritate residet, ad externos actus moderandos definitur. Si tamen noxius societati animus per verba vel facta e conscientiae penetralibus erumpat, tenetur auctoritas delicta coercere sontesque punire. Quod si ordo instaurandus pænas supremas et capitales de reis sumi exigat, has posse per auctoritatem infligi fidenter propugnamus. Verumtamen poenis quibusquumque poterit societatis moderator reos subtrahere; dummodo id prudens consilium et potius commune bonum futurum censetur.

XI.

Huc revocandi sunt qui vel luxus patrocinium suscepere, vel saltem illum non posse per auctoritatem omni ope a sociis propulsari affirmarunt. Nec multum humanitatis dictamina illos sentire arbitramur qui vere egenos omni sociorum auxilio viduatos volunt.

XII.

Unitatis perfectionem numquam societas adsequetur nisi communi Religionis vinculo cives omnes colligentur. At pessimæ causæ patrocinium susciperet, quisquis inde politicæ auctoritati jus vindicaret vel determinatum cultum subditis indicendi, vel vi ad certam Religionem adigendi. Sat ipsi erit in eos, ut in societatis hostes animadvertere, qui vel primas naturales veritates vel veram socialemque Religionem dictis factisve oppugnant.

XIII.

In supremo etiam sociorum moderatore jura polytica (potestas scilicet constituens, deliberativa, legislativa, et executiva cum potestate judiciaria et vi publica quas haec postrema desiderat)

inveniuntur. Quæ omnia eo perfectius ad societatis bonum corrivabunt, quo magis conjuncta ab eodem subjecto physico aut moraliter uno exercentur.

XIV.

Potestatis constituentis partes sunt socialem unitatem procurare; idque praestabit si propositis sibi justitiæ normis mentes per verum, voluntates per bonum, personas per rectam potestatum distributionem, et opportunam in terris legitime possessis cohabitationem, adunabit. Deliberativae porro cognoscere quæ societati necessaria sunt; quapropter tum capacitatem intelligentiæ, tum voluntatis rectitudinem in iis, qui publicis consiliis adsident, cordi sibi esse debere intelligat.

XV.

Leges quæ a potestate legislativa feruntur justæ, utiles, convenientes, claræ, publicae, efficaces, condantur oportet. Ex ipsarum vero convenientia fit ut neque omnes æque gentibus omnibus congruant, et possint per publicam potestatem vel immutari vel abrogari vel etiam derogari.

XVI.

Potestatis executivæ est populi numerum ipsiusque commoda et divitias curare. Nemo tamen dicat, ipsi licere socios ad matrimonium adigere. Ad societatem enim domesticam ineundam (quæ licet cælibatu longe inferior sit , tamen naturæ non opponitur ut quidam somniati sunt) homines individui liberi omnino sunt , et ratione non vi ad ipsam inducantur necesse est. Praesertim cum matrimonium legitime contractum jure naturæ sit omnino indissolubile.

XVII.

Juris dicendi potestas huc demum spectet , ut postrata injuria omni jus et verum triumphent. Ad quæ explenda , si summus imperans per se insufficiens videatur , potestatis hujus suæ participes reddere poterit quotquot societatis bonum desiderabit.



PARS TERTIA

JUS INTER-NATIONALE

XVIII.

Iustitiæ et benevolentiæ leges inter societates mutuo independentes vigens, hoc primo jubet: ne ipsæ ad invicem aliquid moliantur vel intendant, quo jura aliarum lædantur. Dein, ut quantum in ipsarum facultate est, per tutelam polyticæ existentiæ, per publicæ felicitatis incrementum, per veri cognitionem ac boni amorem, aliarum gentium perfectioni adnitantur.

XIX.

Hinc sequitur, commercium non fovere publicæ gentium felicitati non parum officere, et naturali legi adversari. Commercium enim medium aptissimum est ad bona sensibilia intellectualia et moralia adaugenda, et ad homines omnes ad universalem quamdam societatem adducendos. Poterit tamen quandoque a publica auctoritate commercium vel definiri vel omnino inhiberi; si ex illo societatis suæ detrimentum sentiat obvenire.

XX.

Tandem si violatus inter gentes ordo armis necessario instaurandus sit, bellum gerere naturæ non opponitur. Attamen his servatis legibus, ut bellum publice juste moderate efficaciter geratur. Tum ut per publicam Auctoritatem indicto, haec pacem aequis conditionibus oblatam minime detrectet, legatos revereatur, inermes humanitate soletur, cædes vastationesque inutiles vitet, moralia dictamina tueatur, juris naturæ placita decernunt.



